



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

285. feria 6. de Modestia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

504 FERIA 5. DOMIN. 16. POST PENTECOST.

coelestes cives pronuntiamur: *Beati mites.* 3. Exemplum D. IESU, qui dicitur Filius David propter Mansuetudinem, quam præ alijs virtutibus cum humilitate in se imitandam proposuit: *Discite à me, quia mitis sum.* Crucifixoribus suis nihil minatus, sed pro ijs Patre exorabat, qui alias tam severè suorum servorum in Ecclesia injurias ulciscitur. 4. Injuriam inferens misericordiam dignus est magis, quam iram, qui si malus est, æternum illam luet, si electus, aliquando poenitentiam eluet. 5. Multa bona ex mansuetudine proveniunt, injuriantem vincimus, remissionem peccatorum meremur, pronuntiamur Beati, tranquillitatem acquirimus mentis, benevolentiam comparamus hominum, januam cordis veritati intelligendæ aperimus.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Injuriam nobis illatam flere, voce, & alijs signis. 2. Iram intus cohibere, & bonis considerationibus, aut alijs medijs frenare. 3. Cor tranquillum & serenum inter injurias servare. 4. Injuriam inferentibus vultum serenum, & verba blanda reddere, iisdem beneficia impendere, 5. Injuriam oblivisci.

MEDITATIO CCLXXXV.

FERIA 6. DOMIN. 16. POST PENTECOST.

De Modestia,

Videbo

Per. 6. Domin. 16. post Pentecost. 505

Videbo D. Iesum oculis continentissimū
in medio Doctorum modestissimū,
nunquam proditoris sui nomen eloquentē:
per quam modestiam nos Apostolus hortatur:
Obsecro vos per modestiā Christi. 2. ad Cor. 10. Ut modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Ad Philip. 4. Petam eam consequi.

Cons. 1. Modestia est virtus quæ externos motus, & gestus corporis leves, item & jocos, nec non cultum personæ moderatur.

Cons. 2. Incitamenta. 1. Coram Deo nihil perperam agendum, dicendumve. 2. Servata modestia mirum in modum mentis profectui, & puritati deseruit. *Vbi Deus, ibi gravitas adiutrix, & sociæ pudicitia,* inquit Tertull. ad Vxor. lib. 1. 3. Modestia magnum momentum habet ad proximi ædificationem. 4. Iubemur ab Apostolo *spiritu ambulare,* ad Gal. 5. id est, ut exponit D. Hieron. *Spiritualibus actibus,* quos ait esse fructus Spiritus sancti, & inter hos est *modestia,* quæ in Christo fuit perfecta. Cujus defectus arguit interiorem hominem non esse bene ordinatum, ut notavit S. Gregor. Nazianzen. in Iuliano Apostata, ideo conabor motibus meis cælo ordinatissimo esse simillimus.

Cons. 3. Actiones ejus. 1. Caput leviter huc, illuc non movere. 2. Oculos non circumferre vagos. 3. Non rugas in fronte. 4.

I

NON

JOB Sabbato Domin. 16. post Pentecost.

Non labia diducta, aut nimis compressa. 5. Vestes mundæ, & decenter compositæ. 6. Manus decenter quieræ. 7. Incessus nec nimis lentus nec nimis festinus. 8. Ioci sint rari, personæ, & statui congruentes, præterea & ludi. 9. Vestes nõ nimis delicatæ, nec mundæ, neq; ex adverso sordidæ. 10. Supellex, habitaculum, & reliqua neminem scandalizēt.

MEDITATIO CCLXXXVI.

Sabbato. Domin. 16. post Pentecost.

Quomodo B. Virgo in his virtutibus excelluerit,

Videbo D. Virginem velut hortum Regium refertum floribus amœnissimis, fructibusque dulcissimis, Liberalitatis, Longanimitatis, Macerationis, Magnanimitatis, Mansuetudinis, Modestiae. Petam ei magis conformari.

Conf. 1. B. Virginis Liberalitatem, quæ à Richard. lib. de laud. B. Virg. cap. 3. dicitur. Pincerna gratiarum, sicut nec maris profunditas, sic nec MARIÆ Liberalitas potest exhauriri, indefessa enim, & sufficienter dat gratiam universis, quam facillimè inveniunt apud Deum, nisi per eos steterit. Ita ille. Longanimitatem, quæ eam appellat S. Cyrill. Alex. Homil. Ephes. habita in Nestor. Lampadem inextinguibilem. Macerationem in peregrinatione.